

- & incurrit poenam caducitatis, vel expulsi-
nis, vel dupli juxta pacta.
- 9 A qua poena non excusantur Mulieres, neque
rustici, neque minores, neque Pupilli, con-
ceditur tamen restitutio in integrum.
 - 10 Habens pactum de renovanda investitura in
termino concessa, non incurrit caducitatem,
si non renovet, quia Investitura est perpe-
tua.
 - 11 Ignorantia excusabilis, seu verisimilis excusat
ab incurso poenae Investiturae, in termino non
petitae.
 - 12 Non sic in canone non soluto, si tempus cepit
currere de tempore sui auctoris.
 - 13 Uno ex sociis negligente suam portionem cano-
nis solvere, praedictum incurrit ceteri
socii.
 - 14 In praedictis casibus quilibet causa excusat.
 - 15 Ad constituendum Emphiteutam in mora non
requiritur interpellatio.
 - 16 Si ex negligentia emphiteutae res destruat,
adhuc tenetur solvere canonem.
 - 17 Maritus non solvens canonem pro Uxore illi
praedictat, Uxor tamen restituitur in inte-
grum.
 - 18 Emphiteuta tenetur solvere canonem re non
fructificante, intellige si consistat in modico.
 - 19 Secus si canon aequat fructus, vel sit con-
stitutus in magna quantitate, limita si ad-
esset pactum, num. 22.
 - 20 Non solvens canonem, potest praedictare suc-

- cessoribus.
- 21 Negligens servare pacta posita in investitura
incidit in poenam in investitura appositam.
 - 22 Etiam si pacta exorbitent a bullis Pontificiis.
 - 23 Limita nisi Principis mandatum, aut bonum
publicum resistat.
 - 24 Dato quod ob negligentiam Emphiteuta inci-
deret poenam privationis ex pacto ipso Jure,
non tamen tenetur dimittere, nisi post sen-
tentiam declaratoriam.
 - 25 Per oblationem realem Canonis tempore debi-
to factam evitatur poena.
 - 26 Dominus directi tenetur per necesse investire
successorem in re emphiteutica, & negligen-
do potest cogi.
 - 27 Omittente domino investire eum, cui debetur
investitura, spectierat, Investitura censetur
ei de Jure concessa.
 - 28 Si dominus neget consensum Emphiteutae, vo-
lenti alienare, quando erat pactum (& quid-
quid voluerit faciendi) notaretur negligen-
tia, & consensus habetur pro praestito.
 - 29 Si dominus requisitus recuset investire sine ju-
sta causa, amittit jus proprietatis secundum
aliquos, vel tenetur ad interesse secundum
alios.
 - 30 Re in totum destructa sine culpa Emphiteutae,
non debetur amplius Canon.
 - 31 Deberetur tamen, si res paulatim periret, ex
negligentia Emphiteutae.

ARTICULUS XVI.

De Negligentia Emphiteutae.

Emphiteuta potest esse negligens, vel in petenda investitura, & sol-
vendo laudemium, vel in annua
canonis solutione, vel in imple-
mento pactorum, si quae sunt in
Investitura imposta &c., & de istis quaerimus in praesenti articulo.

- 1 Negligens in petenda Investitura est, qui
dum possidet rem emphiteoticam, non petat a Domino directi investituram infra an-
num, & diem de jure communi, ut ex
communi testatur Fulgin. tract. de Jure Em-
phiteutico tit. de renovat. quest. 1. num. 18.,
& num. 64. qui annus incipit currere a die
scientiae, ut idem Fulgin. num. 19., nam

semper ignorantia, dummodo probabilis,
& non crassa, excusat a negligentia, & nu-
19., quod non quaelibet scientia sufficit,
sed requiritur scientia qualitatum, id est
emphiteusum esse reverentiam ob lineam fini-
tam eg., & factum esse locum sibi peten-
di, & recipiendi investituram; Nisi igno-
rantia sit crassa, & supina, qualis erit,
si tota Civitas dignosceret, quod Emphi-
teuta dicit ignorare.

- 2 Hinc sequitur, quod si hujusmodi posses-
sor bonorum Emphiteuticorum negligat in-
fra id tempus petere investituram, & per-
mittat deinde alium investiri, sibi praedi-
cat, & dominus potest alium investire,
ut ibid.

- ut ibid. Fulgin. dicta q. 1. num. 21., eo quia
dum patitur alium investiri, censetur Em-
phiteusum renuntiare ex adnotatis ejusdem
Fulgin. titulo de renuntiat. q. 8., Pigant. ad
Statut. Ferr. tom. 2. rub. 127. nu. 65.
- 3 Si vero petisset infra annum, nec sibi con-
cederetur, sed alius investiretur, haec est
nullius momenti, non enim potest negli-
gentiae imputari ei, qui petiit in termino,
vel etiam si ante lapsum anni dominus di-
recti investiret alium, veniret autem ille
cui de jure debetur post factam investitu-
ram, sed ante lapsum temporis ad peten-
dum, adhuc debet investiri, nec sibi pre-
judicavit, Marefcot. Variar. lib. 1. ressol. 3.
num. 23., Caldas. de jure Emphit. lib. 1. q. 8.
sub nota. 29., Riminald. consil. 444. num. 50.
Fut coram Melrio. decis. 143. num. 26. p. 10.
recent.
 - 4 In terminis autem Bullae Bonifacianae con-
cessae civibus Ferrariensibus specialiter in
hac materia emphiteusis, ex quo ferè om-
nia bona in statu, & ducatu Ferrariæ sunt
de directo dominio Ecclesiae, terminus ad
petendam investituram est annus a die scien-
tia, ut in eadem bulla, & si infra annu
non petat investiri, singuli negligentes poe-
nam decem librarum monetæ Ferrarien.
dominis persolvendam incurrant eo ipso,
ut in versicul., & illi qui ex eis Pigant. num.
35.
 - 5 Et quia in eadem Bulla conceditur ultra
annum mensis ad purgandam moram, se-
quitur eadem Bonifaciana, & si forsan re-
cognitiones, & investituras easdem per unum
mensum ultra annum praedictum petere, & re-
cipere non curaverint, ipso facto cadant ab om-
ni jure suo, ac praedicta bona, & feuda ad ip-
sos dominos directos libere devoluant, ex qui-
bus constat negligentem in praedictis casu-
bus duplici poena, pro duplici negligentiae
culpa.
 - 6 Oportet tamen, ut constet de negligen-
tia, & contemptu, Pigant. ad ead. Bullam
num. 36., ubi num. 38., monitionem, &
interpellationem necessariam esse, ex quo
in factis privativis semper necessaria sit in-
terpellatio, & monitio, ut nos in prima
parte artic. peculiariter ostendimus, nam licet
Bulla dicat, quod negligens cadat ipso facto,
& ad id quod juris est, non opus sit sententia,
ad factum tamen requiritur declaratoria,
scilicet emphiteutam fuisse negligentem,

& culpabilem contemptorem. ex quo se-
quitur ipsum cadere sub Bullae dispositio-
ne, & ista declaratoria omnimodè premit-
tenda est, nam licet constet non fuisse pe-
titam investituram, ignoratur tamen, an
ex justa, & probabili causa, an sine justa
causa, & culpabiliter fuerit omissa petitio,
Fulgin. de jure emphit. tit. de renovat. q. 1. n.
64., qui tamen non loquitur in terminis
nostrae Bonifacianae; sicuti etiam habens
Benefitium curatum, si alterum Curatum
obtineat, primum vacat ipso jure, tamen
ad effectum privationis, necesse est eundem
citare, & per sententiam eum privatum
declarare c. licet de Praebend. in 6., ea sem-
per ratione, ut inotescat an privandus ha-
beat aliquam legitimam excusationes cau-
sam.

7 Hinc etiam sequitur, quod facta inter-
pellatione, non amplius detur locus mora-
gationi morae, ex quo duplicata sit mora,
primò scilicet per lapsum temporis; secun-
dò per interpellationem, Pigant. num. 34.,
solet tamen concedi a Judice breve tempus
ad purgandam moram, facta autem in-
stantia pro obtinenda investitura, si per do-
minum steterit, quin concedatur, emphi-
teuta non erit negligens, quantumcunque
tempus labatur, quia per eum non stat.
Hoc tempus anni, & mensis a jure, & a
Bulla concessum, potest ex pacto inter par-
tes in toto abbreviari, quo ad petendam re-
novationem, ex allegatis per Caldas. de em-
phiteusis lib. 1. q. 11. num. 2., nec repugnat
Bulla Bonifaciana, quae pluries decernit,
nisi pacta inter partes aliter disponant, quae
voluit esse servanda.

8 Ex altero capite negligentiam incurrit em-
phiteuta, si in termino in investitura con-
stitutio non solverit canonem, seu annuam
recognitionem, dies vero non est idem in
omnibus, alii in festo Pascatis, alii in festo
S. Michaelis, juxta pactum in Investitura
appositum, difert tamen si emphiteus sit
laicalis, vel Ecclesiastica, nam si laicalis,
& non solverit Emphiteuta canonem infra
triennium de jure communi cadit a suo Ju-
re, & consolidatur dominium utile cum
directo, ad tex. in l. 2. C. de Jure Emphit.,
ubi si sit emphiteusis Ecclesiastica, si non
solverit infra biennium, tunc sibi praedi-
cat Auth., qui rem C. de Sacros Ecclesiis, cap.
potuit de locato, cum aliis allegatis per Ful-

gin. de Jure Emphit. tit. de solutione canonis q. 1. nu. 1., *Mauson. de causis executivis Ampliat. 5. num. 19.*, ubi quod emphiteuta, qui neglexit solvere canonem in termino juxta pactum; poterit à domino expelli, ubi num. 20., dicit, quod hoc est de natura Emphiteusis, licet non adesset pactum, poterit tamen emphiteuta moram purgare celeri solutione c. *potuit de locato, Corbula de Emphit. limit. 44. n. 25. Vers. septima fuit, Barbosa in d. c. Potuit num. 132. de locato*, ubi in fine, quod non procedit in foralaicali; *Surd. Consil. 97. num. 31. 32., Cerro decis. 357. num. 9.*, Attenta verò nostra Bonifaciana constitutione, non solventes Canonem, pro qualibet annua cessatione incidunt in pœnam dupli Ecclesiis, Monasteriis, & Locis Pii dominis directi applicandi, de quo etiam *Pigant. ad dictam Bullam num. 29.*, ubi in Versiculo (*hæc pœna*) notat hanc pœnam esse exigibilem, si nulla Emphiteutæ excusatio competat, ex quo non tantum sit pœna conventionalis, quo casu fortè non esset exigibilis, nisi ratione interesse, sed quia est pœna legalis, idè absque scrupulo est exigibilis; dummodo aliqua justa causa non excuset ab ea; ubi num. 31., quod dominus directi habet intentionem fundatam super non solutione canonis, idè quæ Emphiteuta asserens se solviffe, tamquam factum, in quo se fundat, ipse tenetur probare; Effugiet tamen hanc duplicem pœnam celeri satisfactione, *Pigant. rub. 122. num. 6.*

9 Quærent D.D. an Mulier, an Rusticus, vel Pupillus excusaretur à caducitate, vel à pœna, si negligerent canonem solvere in termino constituto, quæ difficultas latè discutitur à *Corbula trac. de Emphit. tit. de causa privationis, ob non solutum Canonem Ampliat. 17.*, respondit non excusari, sicuti *Ampliat. 28.* sustinet, neque minorem 25. annorum excusari, & *Ampliat. 29.*, neque Pupillum, aut infantem excusari, & *Ampliat. 27.*, neque Ecclesiam, si ipsa haberet Emphiteusim, & teneretur canonem solvere, & si non solveret, non excusaretur à caducitate, vel à pœna, licet eis competeret restitutio in integrum adversus lapsum temporis, quod negat *Corbula dictis ampliationibus*, quando minor, pupillus &c., non ipse acquisivit Emphiteusim, sed ejus, vel eorum Pater, & appo-

fitum sit pactum resolutivum in casu non solutionis canonis, rationes, & fundamenta videnda sunt apud eundem *Corbulam*, & *Oddum de restit. in integrum q. 89. artic. 9.*

10 Contingit, & negligentia in renovatione Investituræ, quando scilicet pactum est, ut ex tanto tempore renovetur, & laudemium solvatur, quod tempus juxta pacta, & conventionem taxatur, sicaliqui habet pactum de renovando de 29. annis in viginti novem annis, alii de 20. in 20., alii de 15. in 15.; dubitari autem posset, an caducitatis pœnam incurreret, qui negligeret renovare in termino convento, ut in 29. anno, respondit *Rota coram Coccino decis. 1116. num. 5.*, non incurrere, quia investitura primo concessa fuit perpetua, renovatio autem fit non ad substantiam, sed pro faciliori jurium probatione, *Corbula de causa privationis ob fuitum tempus num. 17.*

11 Ignorantia tamen debentis petere Investituram, dummodo excusabilis, sicut in minore excusat, vel à caducitate, vel à pœna si non petat investituram infra terminum, vel conventum, vel à Jure depositum, *Pigant. num. 14.*, ubi num. 42., quod terminus anni, & mensis incipit currere à die aditæ hæreditatis, ubi num. 45., etiam si interim lis vertatur inter dominum, & Vassalum, tempus enim pendente lite, currit ad commodum Ecclesiæ agentis ad caducitatem, conjungitur enim cum tempore antecedente ad litem decurso ad complendum terminum, *Corbula de Emphiteus. tit. de causa privationis ob non solutum canonem, Ampliat. 16. sub num. 4.*

12 Neque relevaret paritas si quis diceret, Minori, Pupillo, Ecclesiæ, vel non currit tempus ad petendam investituram, vel restituantur in integrum, ergo hoc idem videtur dicendum si canonem non solvant, & hoc modo argumentatur *Gramaticus apud Corbulam*, qui *Ampliatione 29. num. 3.* respondit, non currere paritatem, nam annus ad petendam Investituram non incipit currere nisi à die scientiæ, qua propter non currere ignorantia, quales præsumuntur Minores, Pupilli, Infantes &c., at dum agitur de canonis solutione tempus currit etiã ignorantia, quando tempus cepit currere de tempore sui auctoris dum viveret, *Barbosa in c. Potuit num. 105.*, ubi plures D.D. de locato, licet postea ignorantia succurra-

tur per restitutionem in integrum, ex clausula si qua mihi justa causa gloss. fin. in l. 2. C. de Jure Emphit., idè ignorantia etiam proderit si possidens fundum nesciebat esse emphiteuticum, *Corbula dicto tit. limit. 20.*, *Barbosa in l. 2. num. 28. C. de Jure Emphiteut.*

13 In hac materia negligentia unius ex Sociis, alteri ex Sociis præjudicat, idè ponamus, quod sint in solidum investiti, & unus canonem sibi tangentem, seu partem totius canonis sibi tangentem solvat, alter verò negligat, & non solvat, omnes sic in solidum investiti cadunt ab emphiteusi, vel in pœnam incidunt, quia ratione clausule in solidum contractus unus est, canon quoque per modum unius consideratur, *Corbula dicto tit. de causa privat., ob non solutum canonem, ampliat. 33.*, *Borel. dicto tit. 33. num. 396.*, & in casu quo secundum Jus commune emphiteusis revertitur ad dominum ob canonem non solutum in pœnam quoque negligentia Emphiteuta amittit melioramenta facta in re emphiteutica, l. 2. C. de Jure Emphit., ubi *Barbosa num. 6.*, & 11., ibiq. plures D.D. allegati, & in c. *Potuit n. 138. de locato, Corbula dicto tract. ampliat. 36.*, quod notabiliter limitat, si melioramenta essent extraordinaria, & magni pretii, ex pluribus allegatis per *Barbosam in dicto c. Potuit nu. 138. de locato, Surd. decis. 317. num. 16.*

14 Verum tamen est, quod à prædictis caducitatibus quælibet causa, etiam bestialis excusat, *Corbula dicto tit. limitat. 17. nu. 2.*, *Conciol. allegat. Civil. 79. num. 32.*, *Fulgjin. de Jure Emphit. tit. de alienat. q. 1. nu. 301. 302.*, *Barbosa in c. Potuit num. 131. de locato*, per tex. in l. *Igitur §. potest ff. de liberali causa*, sicuti dicitur, quod quælibet causa etiam irrationalis, & temeraria, & quælibet opinio etiam erronea, vel in Jure, vel in facto excusat à fructuum restitutione, *Merlin. decis. 163. num. 10. 11. 12.*, sicuti etiam titulus nullus, & invalidus, *Merlin. decis. 585. num. 8.*, *decis. 663. num. 4.* & 5., ubi Romana Rota sit solita condemnare Victum ad fructuum restitutionem solum à die motæ litis, *Cerro decis. 377. n. 7.*, & 812. num. 25., Idè detentus in carcere non solvens excusatur, *Camil. Borell. tit. 37. de Emphit. n. 358.*, vel ex causa pestis, vel Emphiteuta habeat hostes,

ac propterea non habeat tutum accessum ad dominum, vel si ex præcepto Judicis non solveret, vel aliis similibus causis ad allegata per *Barbosam dicto c. Potuit num. 107.*, ubi num. 110., si propter bellum, aut pestem nullos potuit fructus percipere, vel non esset persona legitima, cui pensio solvatur, & si quis diceret se procuratorem, debet docere de mandato, alias non solvens, non est negligens, *Coccin. decis. 878. nu. 7.*, verum tamen est quod ad evitandas eas pœnas sufficit oblatio verbalis judicialis, *Cerro decis. 812. num. 24.*

15 Difficultas posset esse, an ad constitutum in mora, & negligentia Emphiteutam, qui canonem non solvit per biennium, aut triennium, requiratur interpellatio, & solutio est in c. *Potuit de locato*, scilicet non requiri, & reddit rationem, *tex in fine ibi cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet, Corbula de Emphit. dicto tit. de causa privationis ob non solutum canonem Ampliat. 3.*, *Barbosa in d. c. Potuit n. 93.*, & tenetur Emphiteuta propriis expensis portare canonem ad domum habitationis domini, alias esset negligens, & negligentia pœnas incurreret, *Coccin. decis. 741. num. 2.*

16 Si contingeret quod res Emphiteutica, puta domus ex negligentia Emphiteutæ corrueret, vel aliter destrueretur, tunc ne ex sua negligentia commodum reportet, debet adhuc integrum canonem solvere, & negligentia pœnam portabit, ex allegatis per *Barbosam in d. c. Potuit nu. 113. ad finem, Coccin. 1142. num. 1.*

17 Utrum verò Maritus non solvens canonem rei dotalis Emphiteuticæ, ex sua negligentia præjudicet Uxori, *Menochius consil. 88. num. 42.*, respondit non præjudicare licet *Borellus contrarium ex allegatis asserere videatur, tit. 33. de Emphit. num. 318. 319.*, & in hoc casu succurrit Uxori per restitutionem in integrum.

18 Quod autem dictum est supra, quod non colligens fructus, neque tenetur solvere canonem, limita si canon consisteret in modico, ut hic Ferrariæ, nam multi qui habent Emphiteusim ab Episcopatu, singulo anno simplicem denarium solvunt, & tunc tenentur etiam si nullos fructus collegerint, quia canon solvitur in recognitionem dominii, non propter fructus collectos,